

Stiftungsurkunde¹⁾ des Bischofs Gerung zu Meißen

vom 12. Nov. 1168. (Dresd. Hauptstaatsarchiv N. 71.)



C: In nomine sancte et individue trinitatis. Gerungus divina favente clementia Misinensis episcopus omnibus Christi fidelibus et presentibus et futuris: gratia vobis et pax adimpleatur in perpetuum: Justum est et rationi approximat, officii quoque nostri debitum expostulat, ut, que bono initiari principio cernimus, ad meliorem et optimum finem per Dei omnipotentis misericordiam consilio et auxilio, quantum in nobis est, perducere laboremus. Congruum etenim est nobilibus quorumlibet vel potentum pios conatus laude et favore prosequi et effectui mancipare et, ne dampnabili negligentia vel aliquorum Deum non timentium violentia in irritum, que canonice facta sunt, ducantur, scripti memoria posterorum etiam noticie commendare. Eapropter noverit omnium Christifidelium tam presentium universitas quam futurorum posteritas, qualiter comes Dedo dive memorie marchionis Cunradi Filius, tanta nobilitate moribus non inferior, pro eterna sui suorumque memoria et pro peccatorum suorum indulgentia cenobium regularium canonicorum secundum regulam sancti Augustini, que sub sanctis apostolis est constituta omnipotenti Deo die noctuque devote servientium in episcopatu nostro in proprio suo, videlicet pago Rochelez in ripa Milde fluminis, consilio nostro instituerit et provisioni dilecti fratris Ekkehardi venerabilis in Sereno monte prepositi in spirituali religione viri per omnia probatissimi commisit. Nos quoque ipsius vocatione ecclesiam inibi in ipsis incipiis fabricatam omnipotenti Deo in honorem sancte et victoriosissime crucis et beate Dei genitricis et semper virginis Marie sanctique Johannis apostoli et evangeliste consecravimus et decimam omnium novahum, que in omnia retro futura tempora in pago Rochelez novari poterunt, quas nemo nunc a nobis beneficii jure possidet, nullo reclamante dotavimus. Comes etiam ipse multos mansos cultos et incultos in eodem pago et silva sites terminis undique limitatos cum pascuis et venationibus et piscationibus et omni prorsus utilitate jam dicto cenobio ipso die consecrationis delegavit. Cujus votum institutum oblationem laudantes approbamus et ne ab aliquo successorum ejus hec infringi vel temerari debeant, que pia et justa voluntate facta sunt, presentis pagine edicto sigillo nostro recognito banno interposito prohibemus. Ecclesiam quoque in Rochelez, que in diocesi Mersburgensis ecclesie sita est, pretaxato monasterio prefatus comes contradidit cum dote sua et omnimoda utilitate. Cui videlicet monasterio et omnibus in eo Deo famulantibus et ipsorum possessionibus, quas in presenti jure possident vel in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium possessuri sunt, tam in agris cultis quam in incultis, in campis et in silvis, in areis et edificiis, in pratis et in pascuis, in vineis et vinetis, in arbustis et arboribus, in piscationibus et

¹⁾ Diese wie die folgende Urkunde sind jede auf ein großes Pergamentblatt in schöner Schrift mit einigen den Augustinern eigenthümlichen Zügen geschrieben. Es wurden nämlich damals die Urkunden meist von denen, für welche sie ausgestellt wurden, also hier dem Kloster, geschrieben und nicht durch Unterschrift, sondern nur durch das Siegel des Ausstellers als echt und rechtsgültig beglaubigt.